



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis De Lvgo Hispalensis, Societatis Iesv, S. R. E. Tit.
S. Balbinæ Presbyteri Cardinalis, Disputationes
Scholasticæ, Et Morales De Virtute Fidei Divinæ**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1656

IV. De filiis, & nepotibus hæreticorum, & eorum pœnis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81031)

occultum, posse Episcopum dispensare in foro conscientie ex facultate illi in Tridentino concessa. Alij tamen probabile existimant, cessante crimine, & sequuta poenitentia, & reconciliatione, quos affert Castro Palao dicto puncto sexto, numero undecimo, & saltem quando delictum est occultum, probabile id putat idem Castro palao ibi numero duodecimo. Ego idem dicendum puto quoad hanc inhabilitatem de Schismatico, quod de hæretico diximus supra disputatione vigesima tertia, sectione quarta, neque enim magis inhabilis reddendus est Schismaticus purus, quam hæreticus, vide ibi dicta.

42 Quinta poena est priuatio ipso facto beneficiorum antea acquisitorum, quam esse Schismatico statutum dicunt Rebuffus, & Flaminus apud Sanchez ubi supra, numero decimo nono. Hanc tamen poenam in iure non esse fundatam dicunt merito, & ad decreta contraria respondent Sanchez ibi, & Castro Palao ubi supra, numero decimo quinto ubi alios affert, quibus consentit Hurtado ubi supra dicta sectione tertia, §. 13.

Sexta poena, suspenditur qui à Schismaticis ordinatur. Sexta poena est, ut qui scienter à Schismatico Ordinem recipit, suspensus maneat ab eo Ordine ex capite primo, & secundo de Schismaticis: capite ordinationes nono, quaestione prima de qua poena videri possunt Suarez dicta disputatione vigesima tertia de Censuris, sectione tertia, numero quarto, Sanchez dicto capite trigesimo sexto, numero vigesimo, Bonacina, & Farinacius, quos affert Castro Palao dicto puncto sexto, numero decimo septimo.

Septima, ir- ruitur collatio beneficiorum à Schismaticis. Septima poena est, ut collatio beneficiorum à Schismatico facta irritetur ex capite primo de Schismaticis. De qua poena ultra alios, quos affert videri potest Castro Palao ubi supra numero decimo octauo, qui bene cum aliis notat, probabile esse, quod ad has duas poenas requiratur Schismaticum esse notorium, & per sententiam declaratum, & quod Ordines seu beneficia à Schismatico scienter recipiantur.

43 Octava poena est, quod Schismatici sint suspecti de hæresi, & de ea debeant abiuare, quam suspicionem esse vehementem tradit cum aliis Castro Palao ubi supra, numero decimo nono. A quo tamen dissentit Diana tractatu septimo, resolutione vigesima nona, qui cum aliis, quos affert, dicit solum esse suspectos, & abiuare debere de leui, quamuis pro temporis diuturnitate, quo in schismate perseverarunt possint aliquando suspicionem vehementem incurere, & debeant de vehemente abiuare. Mihi tamen regulariter placet prima sententia, quia suspicio grauis, & vehemens ex supradictis est, quæ in eo crimine fundatur, ex quo frequenter hæresis colligitur, licet aliquando non colligatur. Frequenter autem, imò ferè semper Schismaticus est hæreticus, & errat circa potestatem summi Pontificis, ergo regulariter schisma ingerit vehementem hæresis suspicionem. Hæc tamen poena spectat ad forum externum sicut & alia, quibus grauioribus, vel leuioribus, pro criminis qualitate puniri debent, aliquando etiam tradendo eos Curia seculari, si sint pertinaces: de quibus videri potest Facinacius, & alij, quos citat Castro Palao ubi supra numero vigesimo. Formam verò abiuationis, qua debent

Card. de Lugo de virtute Fidei diuina.

abiuare non solum hæresis suspicionem, sed etiam schisma, desumptam ex capite quod est cor-
dis primo, quaestione septima, vide apud Sanctarellum tractatu de hæresi capite 43. dubio primo num. 16.

SECTIO IV.

De filiis, & nepotibus hæreticorum, & eorum pœnis.

HI etiam, licet non participant in crimine, participant tamen in aliquibus hæreticorum pœnis, & numerantur inter personas ad hæreticos spectantes. Quo autem iure filij innocentes puniri possint ob delictum alienum, disputat Hurtado in presenti disputatione 88. sectione prima. Et fatendum est, eos non posse in vita, vel membris puniri, nec alia corporali poena affici. Quod colligitur ex Deuteronomio capite vigesimo quarto, Non occidentur filij pro parentibus, nec pater pro filiis: sicut neque etiam vxor propter crimen mariti, vel è contra, quamuis sint duo in carne vna. Regula ergo generalis est, quæ traditur Ezechiel. 18. Hic non morietur in iniquitate Patris sui. Anima quæ peccauerit ipsa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris. Vnde Suarez in presenti disputatione vigesima quarta sectione tertia, numero secundo, dicit, id excedere potestatem iudicis, & legislatoris humani: Potest quidem Deus, qui Dominus est nostræ vitæ, & potest pro libito eam tollere, occidere filios ob delictum patris, propterea de facto mori fecit filium, quem Dauid ex adulterio genuerat secundo Regum duodecimo, & hoc propter patris delictum, ut constat ex illis verbis: Verumtamen quia fecisti blasphemare inimicos Domini propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur: & omnes filij, & filia Achaz lapidati sunt Iosue septimo, ut ex textu colligit Abulenſis ibi quaestione septuagesima secunda, & secundo Regum capite vigesimo primo crucifixi sunt quinque ex posteris Saul, ad placandos Gabonitas ob scelus patris. Homo tamen eam potestatem non habet, ut vitam innocentis auferat, propter delictum alienum, & idem est de aliis pœnis corporalibus, quia vitæ, & corporis dominium non est penes Rempublicam, sed penes solum Deum.

Obiici potest ex lege quisquis, Codice ad legem Iuliam Maiestatem, ubi reus læsæ Maiestatis humanæ morte damnatur, & de eius filiis subditur: Filij verò eius, quibus vitam imperatoria specialiter lenitate concedimus, (paterno enim deberent perire supplicio, in quibus paterni, hoc est hereditarij criminis exempla metuentur) à materna, vel auita, omnium etiam proximorum hereditate, ac successione, habeantur alieni, &c. Quæ etiam lex refertur in capite si quis, sexto, quaestione prima, & quod plus est, laudari videtur, vel approbari ab Innocentio tertio in capite Vergentis de hæreticis, ubi Pontifex excusat confiscationem ibi præceptam ob crimen hæresis, licet filiorum inopia consequatur, quia nimirum legitimis legibus, ob crimen læsæ Maiestatis humanæ filij omni successione priuantur, relicta illis vita solummodo ex misericordia. Supponi ergo videtur,

N Nn quod

quod ex iustitia occidi potuissent, licet ex lenitate, & misericordia vita eis condonetur. Respondetur, iactari nimis in lege illa lenitatem, & clementiam imperatoriam, quod filij cum patre non occidantur; nec id approbati ab Innocentio tertio, sed referri, quod lex civilis ex misericordia vitam solummodo filiis relinquit, vel non excludi debitum iustitiæ: potest enim aliquis ex mortuo simul iustitiæ, & misericordiam aliquid facere, ut si quis creditoris indigentia cognita, ei debitum soluat ex misericordia, & iustitiâ: ita respondet Hurtado dicta disputatione 88. paragrapho quinto. Addere possumus, aliquando præsumi posse in filiis proditoris animum proditorium, & participationem sceleris, ob quam præsumptionem procedi posset, & inquiri contra illos ad grauiiores pœnas, quod iudicare videtur ratio ibi insinuat, in quibus paterni criminis exempla metuntur, nimirum non solum futura, sed etiam præsentia, & hæc ipsa inquisitio ex lenitate non vertitur.

46 Hinc inferit idem Hurtado paragrapho tertio, & duodecimo non posse priuari filios hæreticorum beneficiis, aut bonis, quæ habebant ante paternum delictum: quia non potest quis directe puniri qualibet pœna ob delictum alienum: non enim potest puniri, qui non est dignus pœna, nec potest esse dignus pœna, qui culpam non commisit, ut probauerat paragrapho sexto in quo principio ego libenter confentio, quod nulla pœna possit puniri directe filius ob delictum paternum: non tamen facile conueniam in illatione: nam multa ex iis, quæ enumerat, infligi possunt non puniendo directe filium, sed solum patrem, ex cuius punitione, resultat consequenter, & indirecte aliquod damnum filij; qui verbi gratia ea occasione redditur infamis: potest ergo resultare in filio talis infamia, quæ reddat eum ineptum, non solum ad accipienda officia, aut beneficia noua, sed etiam ad retinenda, & exercenda ea, quæ antea habebat, quod loquendo de possibili concedendum videtur. An verò de facto ita sit, postea videbimus.

47 Certum ergo est etiam, posse filium indirecte, & consequenter puniri ob hæresim patris. Nam pater directe punitur confiscatione bonorum, ex qua consequenter filij patiuntur hereditatis paternæ iacturam, & sic in aliis; ablati enim à patre opibus, honore, & aliis, indirecte filij incurrunt inopiam, defectum honoris, famæ, & aliorum bonorum, quæ à patre accepturi erant. Quod in primis non debet fundari in infectione sanguinis, cum quo parentes vitia sua in filiis transmittunt, ut bene probant aliqui apud Sanchez 2 libro secundo in Decalog. capite vigesimo septimo, numero sexto, quia sanguis ex vitiis paternis nullam qualitatē contrahit ad ea inclinantem: alioquin æquē deberent puniri filij, ob crimen maternum, quod non fit, cum nepotes etiam puniantur ob delictum patris, & soli filij ob delictum matris, ut videbimus; cum tamen quoad corpus plus participant filij ex substantia matris, & ideo pueri frequenter matrizent. Præsertim cum hæresis sit vitium merè spirituale, quod frequenter nullam cum corpore connexionem habet. Nec etiam videtur solidum fundamentum, quod significatur in dicta

lege quisquis, Codice ad legem Iuliam Maiestatem, quod in filiis, paterni, hoc est, hæretici criminis exempla metuntur. Nam licet id sufficiat ad fundandam aliquam præsumptionem, & timorem, ne forte filij patris exemplum sequantur, & ideo hanc rationem multis excuset Sanchez ubi supra, numero septimo. Hæc tamen præsumptio in multis casibus debilitari posset, & omnino euacuari, quando in filiis aperte constaret probitas, & honestas omnino facta est in sancto Petro martyre acerrimo hæreticorum hoste, qui ex parentibus pessimis, & hæreticis natus erat, & in mille aliis sanctissimis viris ex impiissimis parentibus ortis. Vtrum ergo, & legitimum fundamentum, ut notat Menochius de præsumptionibus libro quinto, præsumptione trigesima tertia, numero octauo, & duodecimo, & Concil. 99. numero ducentesimo vigesimo, volumine primo est, quod ob atrocitatem delicti merito puniuntur parentes in filiis hoc, est, eo genere pœna, quæ etiam in filiis redundet, quorum mala acerbissime parentes ipsos cruciare solent. Ideoque ad eos solos posteros pœna eiusmodi derivari solent, quocirca pœnas viucentes adhuc parentes videre possunt iuxta illud Exod. 34. *Quæ reddis iniquitates patrum filiis, & nepotibus in tertiam, & quartam progeniem.* Vbi Abulenſis obſeruat, non extendi ultra quartam generationem, quia nunquam parentes ultra illam in vita permanere solent.

His suppositis, & antequam veniamus ad pœnas in particulari, quas hæreticorum filij incurrunt, nonnulla dubia generalia examinanda occurrunt. Primum ergo dubitatur, qui intelligantur nomine filiorum, quando de hæreticorum filiis aliquid statuitur, an soli filij legitimi, an etiam illegitimi. Aliqui videntur significare solos legitimos intelligi, non spurios, seu vulgo quæſitos: nempe Ioannes Andreas, Dominicus, Franciscus, & Villadiego relati apud Sanchez dicto capite vigesimo septimo, numero primo, qui tamen eos dicit excludere solum filios, quorum pater est incertus, quia in dubio non est filius condemnandus. Quando tamen pater est certus, omnes fatentur intelligi in his pœnis filios etiam illegitimos, quos congerit, & sequitur idem Sanchez ibi, Castro Palao dicta disputatione septima, puncto secundo, numero sexto, & Hurtado ubi supra, paragrapho vigesimo quarto. Quia non debent esse melioris conditionis filij, eo quod eum peccato geniti sunt, ne plus honoris luxuriæ quam castitatis tribuatur.

Secundò dubitatur, an quando pater absens, & non comparens in contumaciâ condemnatur, & eius statua comburitur, eius filij incurrant pœnas hæreticorum filios statutas. Affirmant plures, quos refert, & sequitur Sanchez ubi supra numero decimo nono, quibus consentit Hurtado ubi supra, paragrapho vigesimo tertio, tertio. Si pater saltem potuit respondere, & non comparuit: si autem pater vel nesciuit, vel non potuit se purgare à crimine falso obiecto, tunc dicit in foro conscientie, filios non efficiiis pœnis, secus in foro externo, donec probata pater renuncietur innocens, vel non potuisse comparere. Aliter distinguit Gigas tractatu de crimine lese Maiestatis, libro tertio titulo de patris, quod

quas incurrunt filij, &c. *quæstione decima tertia, numero tertio.* Si enim ex processu constet, probatum esse plenè crimen, sententia lata afflicta etiam filios: si verò id non constet, sed ob meram contumaciam habeatur pro confesso, & damnetur, pœnæ non transibunt ad filios. Fundamentum huius sententiæ est, quia quidquid sit de aliis criminibus, in quibus quando contumax habetur pro confesso, confessio non transit ad hæredes, in crimine tamen læsæ Maiestatis diuinæ, vel humane ea regula fallit, & contumax reputatur conuictus, & verè hæreticus, si tamen contumacia habeat condiciones requisitas in capite cum contumacia de hæreticis in 6. secus enim esset, si contumacia ipsa non plenè probaretur.

Alij tamen satis probabiliter id negant de pœnis, quæ exequenda sunt in personis filiorum. Nam quod attinet ad earentiam hereditatis paternæ, certum est, si pater iam condemnatus eius omnia bona confiscantur, filios eo ipso incurrere earentiam illorum bonorum. Nunc tamen sermo est de aliis pœnis, quæ respiciunt immediatè personam filiorum, v.g. irregularitate, inhabilitate, & similibus. Hinc itaque sententiam tenent Farinacius, Rolandus, & alij, quos affert, & sequitur Castro Palao dicta *disputatione septima, puncto secundo, numero duodecimo.* Quia regula generalis est, quòd in contumacia damnatus ita habeatur pro confesso, & conuictus, vt eiusmodi ficta confessio non noceat aliis, nisi ipsi soli, cum non sit, nisi præsumpta probatio, quæ delinquenti soli nocere potest, vt ex lege eius qui *delatorem, digestis de iure fisci*, tradunt communiter Doctores, quos affert Sanchez, & Castro Palao; & fatetur ipse Sanchez, sed dicit, excipi crimen læsæ Maiestatis diuinæ, vel humane: hæc tamen exceptio non habet solidum fundamentum in iure, cum leges generaliter loquantur de contumace, & dicant haberi pro conuictis, & confesso: sicut idem dicunt de hæretico contumaci: sed tamen eadem leges sepe explicant, probationem delicti ortam ex contumacia, non facere probationem requisitam ad delictum præiudicans tertio, lege vltima, Codice de probation. iuncta lege *Sancimus*, Codice de pœnis; Item sententiam latam aduersus aliquem præiudicare etiam hæredibus, nisi in contumaciam lata fuerit, lege *preses*, Codice de pignoris. Ratio autem esse videtur, quia condemnatio ob contumaciam non videtur solidè fundari in delicto principali, sed etiam in delicto contumaciæ; quòd secundum delictum, cum reuera non sit hæresis, sed contumacia non comparentis, non debet aliis præiudicare, qui ex solo delicto hæresis puniuntur indirectè. Hinc etiam est, sententiam illam non transire quoad pœnas corporales in rem iudicatam: sed quodcumque reus comparerit, etiam si eius statua combusta sit, audiendum esse, vt cum aliis faceret ipse Sanchez *numero decimo octauo*, quòd signum est, quòd non erat delictum plenè probatum, sed iuris quadam fictione habebatur pro probato in odium contumacis. Erat ergo sententia adhuc quasi in pendenti, quare pro eo statu non videretur apta ad præiudicandum aliis innocentibus. Placet tamen mihi limitatio, quam Gygas apposuit, vt non sit aliunde crimen plenè probatum: tunc enim

Card. de Lugo de virtute Fidei diuina.

condemnatio non fundabitur in sola contumacia, sed etiam in delicto plenè probato, & iam verificabitur illos esse filios eius quem constat fuisse hæreticum, & non incorporatum Ecclesiæ ante mortem.

Tertio dubitatur, an filij illius hæretici, qui ante mortem respuit, & Catholicus obiit, comprehendantur eiusmodi pœnis. Certum est, si pater hæreticus ante mortem penitentiam egit, vel promptum se ostendit ad eam agendam, atque ideo Ecclesiæ incorporatus fuit, filios pœnas non incurrere; ita enim habetur expresse in capite *statutum de hæret. secundo in 6.* ubi antiquiores leges, & decreta generaliter loquentia corriguntur, & limitantur, vt non puniantur filij, & nepotes, nisi hæreticorum, & fautorum, qui tales esse, vel tales etiam decessisse probantur: non autem illorum, quos emendatos esse constiterit, & reincorporatos Ecclesiæ unitati, & pro culpa huiusmodi ad mandatum Ecclesiæ penitentiam recepisse, quam ipsi vel iam perfecerunt, vel humiliter prosecutioni eius insistant, vel parati fuerint, ad recipiendam eandem. Vbi vides, vt filij contrahant pœnas, non esse expectandam patris mortem in hæresi, sed adhuc patre viuente contrahi à filiis pœnas, si probeatur pater in hæresi perseverare: sicut è contra, vt filij immunes sint à pœnis, non est necesse expectare perseverantiam patris in fide Catholica vsque ad mortem, sufficit enim quòd pater iam penitentiam acceperit, quod vtrumque colligitur ex verbis illis, qui tales esse, vel tales etiam decessisse probentur, & ex illis aliis, vel humiliter prosecutioni eius insistant.

Hinc oritur graue dubium, an filij relapsorum, qui propter relapsum, vel vt dogmatistæ traduntur Curie seculari, & vltimo supplicio afficiuntur, quamuis penitentiam ostendant afficiantur pœnis, statutis filiis hæreticorum. Prima sententia negat, quam ruerunt plurimi relati apud Sanchez dicto capite *vigesimo septimo, numero vigesimo secundo*, qui eam ibi probabilem fatetur, & eandem defendit Hurtado dicta *disputatione octuagesima octaua, paragrapho vigesimo secundo*, quia hi ante mortem reincorporantur Ecclesiæ, & Sacramenta publice suscipiunt, quare in supra adducta decretali excepti videntur, præsertim cum ibi non requiratur, quod penitentiam impleuerint, sed quòd saltem parati fuerint ad penitentiam recipiendam. Fatentur tamen aliqui ex iis auctoribus, non esse immunes filios eorum, qui cum sint conuicti, negant se fuisse hæreticos, & ideo vt negatiui traduntur Curie seculari; hi enim in foro præsumuntur in hæresi decedere: ita expresse Hurtado dicto *paragrapho vigesimo secundo in fine*, & Cantera in *questionibus criminalibus, titulo de questionibus tangentibus purificationem delictorum capite primo numero decimo tertio.*

Sententia contraria est communis, quam tenent innumeri, quos affert, & sequitur Sanchez ubi supra *numero vigesimo tertio* Suarez de *cenfuris disputatione quadragesima tertia, sectione tertia, numero quarto*, & in presenti *disputatione vigesima quarta, sectione tertia, numero tertio*, Auila de *cenfuris parte septima, disputatione quarta, dudio tertio*, Azor *tomo primo, libro octauo capite decimo tertio post questionem*

NN n 2 octauam.

§1
An filij illius
hæretici, qui
ante mortem
respuit, &
Catholicus
obiit, compre-
hendantur
eiusmodi pœ-
nis.

§2
An filij rela-
psorum.

§3

octauam, Castro Palao dicta disputatione septima, puncto secundo, numero sexto. Et mihi etiam verior videtur, quia hi omnes iudicio Ecclesie præsumuntur in hæresi mori, nec eorum penitentia vera æstimatur, sed ficta ad fugiendam penam, quam licet non omnino effugiant, hoc tamen obtinent, ne viui comburantur, tanquam impenitentes; & de negatiuis res videtur clara, quia is nec in morte Sacramenta conceduntur; reliquis verò licet concedantur, non tamen solemniter aut iuridice, vel iudicialiter Ecclesie reincorporantur, vel reconciliantur, & absoluntur, prout fit cum aliis omnibus, qui abiurata hæresi, publicè, & solemniter reconciliantur. Quidquid ergo sit de penitentia interna, & reconciliatione pro foro conscientie, quam Ecclesia illis non negat; in foro tamen iuridico non conceditur eis reconciliatio, quia eorum penitentia non indicatur vera, & ideo traduntur Curie seculari, quia eorum conuersio Ecclesie sufficienter non constat. Cum ergo in dicto capite statutum, eximantur solum filij eorum, quos emendatos esse constiterit, & reincorporatos Ecclesie vniuersi: dum hæc Ecclesie non constat, filij eorum non debent esse immunes. Ad eos quippe spectat onus probandi patrem emendatum fuisse, quod Ecclesia ex testimonio delinquentis, testantis de sua penitentia non credit. Sicut ergo patri dicenti se velle corrigi, non fuit fides adhibita in foro externo, & iudiciali, sic nec filiis credetur, qui id solum probare possunt ex Patris confessione testificantis propriam penitentiam. In foro ergo iudiciali, & externo non constat patrem emendatum, & penitentem obuisse, arque adeo non censentur filij exempti à pœnis, à quibus illi soli exempti intelliguntur, quorum patris penitentia iuridicè probari, & constare potest.

54
Obiectio.

Obiicit Hurtado, quia si pater penitentiam habeat, & dolorem de suo peccato, & hoc filiis constet, possunt se existimare immunes à pœnis, licet pater decesserit ante publicam reconciliationem iuridicam, vt fatetur ipse Sanchez *vbi supra numero vigesimo octauo*, non ergo exigitur semper reincorporatio iuridica in Ecclesia, vt filij intelligantur excepti à pœnis. Respondeo, casum antecedentis posse multipliciter occurrere. Primo si hæresis patris sit occulta. Secundo, si sit notoria, & publica, nondum tamen per sententiam declarata, vel in iudicio probata. Tertio, si interueniat sententia declarans patrem hæreticum, vel constet id in iudicio esse probatum. In primo casu transeat filios non incurrere pœnas, de quo postea dicemus: hinc tamen non valet argumentum ad casum nostrum, in quo adest sententia declarans hæresim patris, & ob eius impenitentiam, vel defectum sufficientis penitentiae eum condemnans. De secundo casu potest esse maior dubitatio, & Hurtado ibi inclinat ad hoc, quod sententia requiratur, vt filij incurrant pœnas, quam dicit fuisse sententiam Suariz *disputatione quadragesima tertia*, (quam per errorem typographi citat 13.) *de censuris sectione tertia*, licet postea in presenti disputatione vigesima quarta, sectione vltima, numero quinto, eam reliquerit. Sed certe Suarez in hoc secundo loco non solum ab ea sententia recedit, sed dicit se contra illam in primo loco tenuisse; & reuera ita est: nam in primo etiam

loco dicta sectione tertia, numero secundo ponderat, in dicto capite statutum dictum fuisse, qui tales esse probentur; & explicans, verbum est illud verbum, probentur; addit: *Aduertendum autem est illud verbum, probentur; quia vt filij iudicio fuerint conuicti, vel confessi, vel patris in res sit satis publica, & omnibus probata*. Tunc ergo procedit doctrina illa Sanchez ex qua obiectio fumebatur: nam: *illo numero vigesimo octauo dicit non requiri sententiam condemnatoriam patris, vt filij pœnis ligentur, quando delictum est notorium euidentia facti; tunc tamen non esse necessarium, vt filij liberentur à pœnis, quod penitentia patris per iudicis sententiam declaratur, sed satis est, quod penitentia etiam constet. Nec credo, inquit, exigi, quando patres ad iudicium delati non sunt, iudicis sententiam reincorporati Ecclesie, sed satis est si constet iam eos Catholicos esse, & emendatos*. Quare videtur exigere etiam tunc penitentiam notorietatem, sicut antea fuerat notorietas delicti. Subiungit enim statim hanc rationem: *Quia cessat infamia, cui textus innotuit: infamia autem orta ex notorietate hæresis tolli non potest, nisi penitentia etiam sit notoria*. Ex illo ergo casu non licet arguere ad casum nostrum, imò retorquetur potest argumentum: quia si quando hæresis paterna est notoria notorietate facti, requiritur, quod eadem notorietate constet de patris reincorporatione, & penitentia, vt filij liberentur à pœnis: ergo quando de hæresi constat notorietate iuris, quia in iudicio probata est, oportet, quod constet etiam in iudicio de vera patris penitentia ad eundem effectum. In casu autem nostro in iudicio constat de hæresi, & non de penitentia, quia iudices eam iudicialiter non approbant, nec veram esse credunt, sed fictam, & ideo reum tradunt Curie seculari; ergo non concurrunt tunc requisiti, vt filij à pœnis eximantur.

Aduertunt aliqui in vno casu non sufficere notorietatem hæresis patris, sine sententia condemnatoria ad refundendas pœnas in filios; quando scilicet pater viuit, vel vixit hæreticus in ea provincia, in qua hæresis non generat infamiam, vt in Anglia, & Scotia, & similibus: ita Henriquez, & Sa, quos affert, & sequitur Sanchez *dicto numero vigesimo octauo*, & Hurtado *vbi supra §. 19.*

Hac autem occasione dubitatur quarto, an si filius solus nota sit hæresis patris, id satis sit, vt æstimet se pœnas incurrisse. Hurtado *vbi supra paragrapho decimo nono* patrem negantem latè probat, & mihi etiam placet, quia notorietas facti, quam Doctores ad hunc effectum exigunt, maior videtur esse, quam quæ ex sola filiorum notitia resultat, quamuis filij plures sint.

Dubitatur quinto, de filiis suspectis de hæresi, an incurrant eadem pœnas. Affirmat Azor *in secundo libro sexto, capite quarto, sectione tertia*: sed contrarium docet Sanchez *dicto capite vigesimo septimo, numero vigesimo nono*, Hurtado *vbi supra paragrapho vigesimo tertio*, & alij communiter, & merito: quia decreta loquuntur de filiis hæreticorum: suspecti autem etiam si propter suspicionem vehementem coacti sint abire, nondum tamen reputantur hæretici.

haeretici, nec sub ea appellatione comprehenduntur.

56 *An eadem poena extendatur ad filios receptatorum, & fautorum.*
 Extenduntur tamen eadem poenae ad filios receptatorum, & fautorum haereticorum, si tales esse, vel decessisse probetur, ut constat ex capite secundò, paragrapho ultimo de haereticis in 6. Nominem autem filiorum, non intelliguntur omnes posterii, sed per lineam paternam usque ad secundam generationem, nempe filij, & nepotes, per lineam vero maternam filij soli. Quare nepos haeretici ex filia non comprehenditur; quia iam descendit ab haeretico per lineam maternam, ut cum alijs notat Sanchez dicto capite vigesimo septimo, numero secundo. Qui bene advertit numero tertio, & quarto non obstat constitutionem Pauli IV. confirmatam à Gregorio XIII. quae loquitur de omnibus descendentibus à Mauris, Iudaeis, & haereticis usque ad quartam generationem: quare corrigi ibi videtur, quod de prima generatione per lineam maternam, & de secunda per paternam decretum fuerat in capite statutum secundo de haereticis in 6. Nam ommissis alijs solutionibus, quas ibi affert, Constitutio illa loquitur solum de non recipiendis in Ordine Minorum, ut ex ea constat, quam refert ad litteram Manuel, *quest. regul. tomo primo, questione decima quarta, articulo primo & secundo*, ubi articulo primo in fine notat, restrictam postea fuisse à Sixto V. ad secundam generationem paternam, & primam maternam. Sicut nec etiam obstat constitutio quaedam Federici Imperatoris, quae liberos omnes committentium crimen laesae Maiestatis divinae, vel humanae afficit infamia, & excludit ab omnibus dignitatibus, & officiis publicis: nomine autem *liberorum*, descendentes omnes intelligi solent. Ceterum in hoc crimine legi Ecclesiasticae standum est, quae potest leges civiles corrigere. An verò consequenter censetur etiam correctallex illa quoad liberos reorum laesae Maiestatis humanae, videri potest Anton. Gomez *tomo tertio variarum capite secundo, numero decimo quinto*.

57 *Filij denunciantes Inquisitoribus proprios parentes an sint immunes à poenis.*
 Dubitatur sextò de filiis denunciantibus inquisitoribus proprios parentes haereticos, an eo ipso immunes sint ab alijs poenis. Liberari ab his poenis testantur Penna, Alfonso de Castro, Simancas, & Roias, quos refert, & sequitur Sanchez *ubi supra numero trigésimo*: ita enim statutum esse constitutione quadam Federici Imperatoris, à varijs Pontificibus confirmata dicit idem Penna referens constitutionem illam, & videri potest Constitutio Innocentij IV. quae est eius octava, & habetur in volumine constitutionum Pontificiarum, ut refert Sanchez *ubi supra, numero nono in septimo argumento*. Loquuntur autem de poenis ipsis filiis statutis, non de poenis patri imponendis, quare non impediunt, quod bona patris haeretici confiscentur, & ideo Hurtado *ubi supra paragrapho vigésimo tertio* aduertit, non fore ab aequitate alienum, si eo casu non confiscentur bona paterna, saltem omnia, sed relinquantur filiis, unde honestè vitam possint degere: alioquin redderet moraliter impossibilis accusatio parentum. Adverte denique, sub his poenis non comprehendendi filios paganorum, Iudaeorum, aut Saracenorum, qui non sunt verè haereticorum filij, cum eorum parentes nun-

Cord. de Lugo de virtute Fidei divinae.

quam fuerint baptizati: ita Suarez *dicta disputatione quadragésima tertia de censuris, sectione tertia, numero octavo*, & Filliucius, quem affert, & sequitur Bonacina *disputatione septima de censuris, quest. 3. puncto 7. num. 11.*

Dubitatur ultimò, an praedictae poenae extendantur ad filios etiam genitos ante haesim parentum, an solum ad eos, qui postea generantur: quae est quaestio facis controuersa, & celebris in hac materia, & de qua latè ultra alios agunt P. Thomas Sanchez *dicto libro secundo in Decal. capite vigésimo septimo à numero nono*, Castro Palao, & Hurtado *loci citatis*; & Suarez *disputatione quadragésima tertia de censuris sectione tertia, numero secundo*, qui alios referunt, & afferunt duas sententias facis communes, & utramque satis probabilem; quarum altera liberat ab his poenis filios ante delictum genitos, altera eos etiam comprehendit: de utriusque autem fundamentis plura dici possent. Cùm tamen calamum iam paratum haberem, ut ab hac postrema quaestione me expedirem, interpellatus repente fuit, sanctissimi Domini nostri Urbani VIII. improvviso praeepto, quo me nulla mora praemissa ad Cardinalatus onus suscipiendum vocavit, quae res multa secum afferebat impedimenta, & negotia, non ita brevi expedienda, quibus huius tomi editio longius protraheretur. Quare melius iudicavi, ne remora haec opus iam alioquin absolutum nimium retardaret, vigente praesertim typographo, indicare breviter meam sententiam, quam mihi praxis potissimum persuadet, ut cum multis, quos affert, & sequuntur Suarez, & Castro Palao, putem, omnes filios haereticorum comprehendendi. Quod quidè, loquendo de possibili, negari non potest, ut fatetur etiam Hurtado, licet de facto id neget. Et constat ex supra dictis, quia haec omnes poenae non imponuntur directe ipsis filiis, ut diximus, sed solum indirectè, quatenus ex parentum infamia redduntur inhabiles ad aliquas dignitates, & munera, quae inhabilitas incurri potest absque vlla filiorum culpa, ut vidimus. De facto autem negari non potest, quod Pontifices satis univèrsaliter loquantur de omnibus filiis, absque vlla distinctione, imò loquantur de casibus in quibus vix unquam contingere poterat, quòd filij ante parentis haesim essent concepti, & consuetudo atque praxis, quae est optima legum interpretes ita univèrsaliter leges illas Canonicas intellexit.

Confirmarique potest primò quia fundamentum, quo Sanchez *loco citato* potissimum movetur, ex sanguine, & semine infecto, ex quo imitandi paternos mores periculum oriatur, quatenus in ipso semine inclinatio aliqua ad eosdem mores imbibita sit; hoc, inquam, fundamentum retorqueri facile potest, quia si haec esset ratio excludendi à poenis filios ante delictum genitos, deberent aequè excludi filij geniti post parentis haeretici poenitentiam: si enim pater in haeresi per vnum diem permansit, & postea resipuit, & per annum integrum ante mortem poenitentiam egit, eoque tempore filium genuit, magis credi potest, quod semen afferret secum inclinationem ad poenitentiam diuturnam praesentem, quam ad peccatum breve praeteritum, & tamen de hoc filio nemo dubitat, quod eiusmodi poenis comprehendatur.

N N n 3 Secundò

60

Secundò confirmari potest, retorquendo iterum fidem fundamentum, quia si pater in corde suo fuit hæreticus per annum, antequam hæresim exterius proderet, & eo medio tempore filium gigneret, hic ex sententia Sanci non comprehenderetur pœnis, sed ij solùm, qui post hæresim externam concipiuntur. Atqui semen magis afferret inclinationes ad affectum cordis paterni internum, quàm ad verba externa, cum sanguinis qualitates maiorem habeant connexionem cum cordis affectibus, quàm cum ore, vel lingua. Non ergo attenditur in hac filiorum pœna ad qualitates phycas sanguinis, vel feminis malè affecti, sed ad puniendum patrem in filiis etiam, quorum mala ad ipsius patris pœ-

nam, & dolorem augendum multum conferre possunt. Quare si alicubi usus esset puniendi solum filios post delictum hæresis genitos, ego eam consuetudinem laudarem, & libenter amplecterer. Vbi tamen contrarius sit usus, dammare non possum, sed puto esse magis conformem verbis sacrorum Canonum, qui totum hoc potuerunt intendere, & intendisse de facto videntur. Hæc autem de virtute fidei dixisse sufficiat. Quæ omnia, & quæ in cæteris meis scriptis dixi, vel in posterum dixerò, eidem Catholice fidei, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, eiusque Summi Pastoris Romani Pontificis iudicio, & correctioni sponte subiicio.

